

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 5026

**Auteur(s) :** Eugène III [pape]

**Bénéficiaire(s) :** Thibaud, Coutances, Saint-Lô (abbaye, abbé)

**Genre d'acte :** bulle

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1145, 14 mars

**Lieu d'émission :** Narni

**Action juridique :** confirmation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Le pape Eugène [III], à la demande d'Algare, évêque de Coutances, prend l'abbaye Saint-Lô de Coutances sous sa protection et confirme les biens de ladite abbaye.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Ramackers Johannes, *Papsturkunden in Frankreich*, Neue Folge 2 Normandie, Göttingen, Vandenhoeck & Ruprecht (Abhandlungen der Gesellschaft der Wissenschaften zu Göttingen. Philologisch-historische Klasse, 21), 1937, 2 vol., n° 28, p. 92-94.

### Indications

Jaffé Philippe, Wattenbach Wilhelm, *Regesta pontificum Romanorum ab condita ecclesia ad annum post Christum natum MCXCVIII* 2e éd., Leipzig, Veit, 1885-1888, 2 vol., n° 8716, t. 2, p. 21.

Texte établi d'après a

EVGENIVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI. DILECTIS FILIIS THEODERICO ABBATI SANCTI LAVDII CONSTANTINI EIVSQVE FRATRIBVS TAM PRESENTIBVS QVAM FVTVRIS REGVLAREM VITAM PROFESSIS IN PERPETVVM. Desiderium, quod ad religionis propositum et animarum salutem pertinere monstratur, animo nos decet libenti concedere et petentium desideriis congruum inpertiri suffragium. Eapropter, dilecti in domino filii, venerabilis fratr̄is nostri Algari Constantiensis episcopi precibus inclinati ordinem canonicum secundum beati Avgustini regulam, quem per Dei gratiam eiusdem fratr̄is nostri studio annitente professi estis, sedis apostolice auctoritate firmamus et, ut in eadem ecclesia perpetuis temporibus inuiolabiliter conseruetur nec aliis ibi de cetero nisi canonicus regularis statuatur, presenti decreto sancimus. Ipsam quoque ecclesiam, in qua diuino mancipati estis obsequio, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et scripti nostri priuilegio communimus. Statuentes, ut quascumque possessiones, quecumque bona eadem ecclesia in presentiarum iuste et canonice possidet aut in futurum concessionē pontificum, largitione regum uel principum, oblatione fidelium seu aliis iustis modis Deo propitio poterit adipisci, firma uobis uestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda uocabulis: ecclesiam sanctæ Mariæ de castello sancti Laudii liberam et quietam ab omnibus exactionibus et consuetudinibus, ecclesiam de Masnillo Vlrici, ecclesiam de Prato Corbini cum decima eiusdem uillæ et molendini, mansum Gosmerii, capellam de Masnillo Corbet, capellariam, quam tenuit Rogerus Salisberiensis episcopus in Constantino, ecclesiam de Anscheteluilla cum decima eiusdem uillæ, de dominio episcopi IIII acras, terram de Martini uilla cum hominibus et molendino,

mansionem Balduini cum terra ad eam pertinente, mansionem Radulfi nobilis, mansionem Osmundi regis, mansionem Riccardi de Uiuario, mansionem Picoti cum omnibus libertatibus et consuetudinibus, decimas omnium horreorum episcopi tam in sancto Laudo quam in aliis uillis, in teloneo sancti Laudii XX libras Rotomagensium, in molendinis VI sextaria frumenti, ecclesiam Scaldreuillæ cum decima, in ecclesia sancti Egidii Xem libras censuales, terram, quam habebat Radulfus decanus in Moncohc, decimas in sancto Laudo tam in flotis quam in petrellis, terram Gaufridi filii Hersendis in Linerolis et vnam domum apud Constantias, vnam acram terre, quam dedit Ra(n)ulfus, Girardus de Bruis XXIIII quartaria frumenti et V solidos in molendino de Lisaint, Radulfus de Haia XIII quartaria frumenti et VI salis apud Crientias, Ricardus de Haia unum rusticum liberum et quietum cum terra sua in Poupailla. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat prefatam ecclesiam temere perturbare aut eius possessiones auferre uel ablatas retinere, minuere aut aliquibus uexationibus fatigare, sed omnia integra conseruentur eorum, pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt, usibus ommimodis profutura, salua Constantiensis episcopi canonica iustitia et apostolice sedis auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisue persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere uenire temptauerit, sæcundo tertio commonita, si non satisfactione congrua emendauerit, potestatis honorisque sui dignitate careat reamque se diuino iudicio existere de perpetrata iniuitate cognoscat et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et domini redemptoris nostri Iesv Christi aliena fiat atque in extremo examine districte ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco iusta seruantibus sit pax domini nostri Iesv Christi, quatinus et hic fructum bonæ actionis percipient et apud districtum iudicem premia eterne pacis inueniant. AMEN. AMEN. AMEN.

R. Ego Eugenius catholicæ ecclesiæ episcopus ss. BV.

† Ego Conradus Sabinensis episcopus ss.

† Ego Theodewinus sanctæ Rufinæ episcopus ss.

† Ego Petrus Albanensis episcopus ss.

† Ego Gregorius presb. card. tit. Calixti ss.

† Ego Rainerius presb. card. tit. sancte Prisce ss.

† Ego Thomas presb. card. tit. Vestinæ ss.

† Ego Gviddo presb. card. tit. sancti Laurentii et Damasi ss.

† Ego Manfredus presb. card. tit. sancte Sauine ss.

† Ego Aribertus presb. card. tit. sancte Anastasiæ ss.

† Ego Hvgo sancte Romane ecclesie presb. tit. sancti Lavrentii in Lucina ss.

† Ego Ivlius presb. card. tit. sancti Marcelli ss.

† Ego Gregorius diac. card. sanctorum Sergii et Bachi ss.

† Ego Guido diac. card. sanctorum Cosme et Damiani ss.

† Ego Octauianus diac. card. sancti Nicholai in carcere Tulliano ss.

† Ego Petrus diac. card. sancte Marie in porticu ss.

† Ego Radulfus diac. card. sanctæ Luciaæ in Septasolis ss.

† Ego Iohannes diac. card. sancte Marie noue ss.

† Ego Bercharchus diac. card. sancte Romane æcclesiæ ss.

† Ego Iacintus diac. card. sancte Marie in Cosmydyn ss.

† Ego Guido diac. card. sancte Romane æcclesiæ ss.

Dat. Narnie per manum Roberti sancte Romane ecclesie presbiteri cardinalis ac cancellarii II id. martii, indictione VIII, incarnationis dominice anno M<sup>o</sup>C<sup>o</sup>XL<sup>o</sup>III<sup>o</sup>, pontificatus uero domni Eugenii pape anno I<sup>o</sup>.